



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 42. Carolus Molinæus Lugduni captus, ac demum liber dimissus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

queritur, quorum primus anno Incar-Sæcul. XVI.
 nationis Dominicæ millesimo quingen- A. C 1563.
 tesimo quinquagesimo septimo excusus
 inscribatur: *responsum ad quasdam ca-*
lumnias, & blasphemias &c. alter vero
 latine anno sequenti editus hunc titu-
 lum præferebat: *calumnice cujusdam*
Nebulonis. In hac apologia profitetur
 Castallio, quod duos libros, quos Cal-
 vinus ei adscripserat, nunquam con-
 spexerit, insuper non modo ea, quæ
 in sacro Evangelio contra fratris sui ca-
 lumniatorem pronuntiantur, eidem ob-
 trudit, sed etiam ei objicit illa, quæ
 ipse Calvinus in vita Christiani scripta
 reliquerat; speciatim vero impactum
 sibi crimen furti, perfidiæ, crudelita-
 tis, & blasphemix diluit: ceterum ex
 iis, quæ ad objectum furti scelus re-
 spondet, ipsum summa egestate fuisse
 pressum manifeste colligitur.

§. XLII.

*Carolus Molinæus Lugduni captus,
 ac demum liber dimissus.*

Hoc item anno Carolus Molinæus Ju-
 risconsultus, cujus jam supra me-
 minimus, novo rursus infortunio ve-
 xabatur; cum enim ob tumultus anno
 priori Parisiis exortos die tertia Junii
 unacum uxore sua secundis nuptiis sibi
 juncta nomine Joanna Viviera, suisque

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

prohibus urbe excedere compelleretur, atque insuper suas ædes Parisiis, nec non suam villam, quam ruri habebat, expilatas cerneret, nullibi tutum reperiebat asylum nisi in Aurelianensi civitate, quam tum Calvinistæ sibi subjecerant, cum vero eadem urbs post Guisii Ducis obitum inita pace Regi reddita fuisset, Molinæus Lugdunum secessit, cui urbi Subisus hæreticorum nomine præerat. In hac civitate Molinæus Decalogum suum juxta textum hebraicum unacum marginalibus notis ex sacro Codice depromptis prælo subjecit, nec minus imprimi fecit catechismum, & apologiam contra quemdam libellum, cui titulus: *defensio civilis, & militaris Innocentium, & Ecclesie Christi*. Ceterum ex hoc ipso catechismo, aliisque libris ab eo editis Lugdunenses Pastores ansam arripiebant, ut illum comprehendere, ac carceri mandari curarent, quod & factum est anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo tertio die decima nona Junii: cum autem Subisus eidem Judices assignasset, coram quibus juxta legum præscripta responderet, vigesimo post captivitatem die libertati redditus, atque ad anni sequentis initium Parisios rediit.

§. XLIII.